



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

## AD LECTOREM.



**T**ERTIVS hic etiam Tomus posthumus est: quin immo post aliquot annos ab Auctoris, & Parentis sui obitu in lucem editus. Et ille quidem, si diutius vixisset, sine dubio non incuriosus fuisset in operis expolitione. Si quidigitur fuerit, cui minus arriseris, non Scriptoris eruditioni, sed mortis intempestivæ culpæ tribui debet: neq; ij, quibus recognoscendi operis cura demandata est, ita facile auctoris mentem assequi potuerunt. Verum hic etiam labor cum Ioannis Azorij nomine suam habebit famæ vitam, & gloriam, præsertim cum lucubrationes ætatis iam de uxæ senilem quandam doctrinæ maturitatem, & soliditatem habeant. Nunc ad totius operis methodum veniamus.

Vniuersam Institutionum Moralium materiam Auctor ad quatuor capita reuocauit, ut in titio primi Tomi ipsemet admonuit, quorum Primum erat, decem Præcepta legis diuinæ, quæ decalogo continentur. In primo vero, & secundo Tomo multa luculenter disputauit, quæ prima quatuor decalogi præcepta complecterentur: itaque in hoc tertio de reliquis præceptis agitur, hoc est, de quinto, sexto, septimo, octauo: duo enim postrema, (vt infra dicitur) ad sextum, & septimum reuocantur. In primo igitur, & secundo huius operis libro agendum erat de iniuriis illatis proximo in persona propria, atque ideò multa præmittuntur de iustitia, & iure in genere, tum de iis actionibus, & affectionibus in specie agitur, quibus proximi etiam iustitia violatur, videlicet de homicidio, duello, bello, ira, inuidia, &c. In tertio vero libro agitur de sexto præcepto, quo nimirum adulterium prohibetur, & propterea de castitate, eiusque speciebus, & de peccatis luxuriæ, castitati oppositis fusè tractatur, quibus proximus violatur in persona coniuncta: atque his tribus prioribus libris præcipuè ordinis rationem apposimus, quod in reliquis non ita exactè seruatum est, cum facilius esset illorum methodus. In quarto incipit tractatio de septimo præcepto, quo furtum prohibetur, & hac de causa agitur de restitutione in genere: In sequenti de delictis, vel quasi delictis, ex quibus oritur restitutionis obligatio. Quoniam vero tam spiritualia, quam temporalia bona proximi lædi possunt, ideò de utrorumq; bonorum restitutione agendum erat; hac eadem de causa longior disputatio de contractibus instituitur, quæ septem sequentibus libris continetur, cum in contractibus proximi iustitia violari soleat. In his porro libris explicatur natura contractuum in genere, tum illorum species, vt qui perficiuntur traditione, vel solo consensu; tum ij contractus, qui huiusmodi speciebus subnectuntur: deniq; etiam dubii pertractantur. Postremo de Simonia integer liber subiicitur, quæ contractus quidam est, & ad emptionem, & venditionem reducitur: deniq; in decimo tertio libro, eoq; vltimo octauum præceptum expeditur, quo falsum testimonium prohibetur. Quoniam vero falsi testimonii nomine multa alia peccata prohibentur, vt quæ contra proximi famam, & honorem admittuntur, aut quæ in iudicio temerario consistunt, ideò de his omnibus pluribus agitur. Hæc te, Lector optime, monitum volui, vt intelligeres, quæ Auctor in primo Tomo pollicitus est, ad amussim præstis-

tisse.